



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 1. Passaviensium militum tumutus in Austria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)



Delphensium Mulierum tumultus .

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CLXXXIX.



PAULUS V. SUMM. PONTIFEX.
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Passaviensium militum tumultus in
Austria.*

Hujus anni post Christum natum
millesimi quingentesimi undeci-
mi auspicia funestis successibus
nimium fœcunda fluebant; quamvis
enim Henricus Julius Brunsvicensis
Hist. Eccles. Tom. LV. A Dux

Sæc. XVII.
A. C. 1611.

*Merc. Gal-
lobelg. annal.
tom. 6. l. 4.
pag. 680.*

Sæc. XVII. Dux in conventu Viennæ habito Leopoldi Archiducis milites, qui in Episcopatu Passaviensi substituerant, dimitti, totis viribus urgeret, nihilominus hi, cum quæstorum iniquitate æs militare non solum quererentur, excusso obsequii jugo sibi ipsis per publicas gratificationes stipendium procurare decreverunt, atque anno priori motis castris die decima nona Decembris Lincium versus populabundi excurrere: re compta Matthias Rex confestim literas ad fœderatos Bohemiæ Ordines rogatum misit, ut exigente ita necessitate auxilio sibi essent. Interim seditiosi hi milites ductore Ramæo ulterius progressi, Mense Januario Austriacas supra Anisum Regiones trajecto Danubio fœde depopulabantur, tandem vero promotis Mauthusio castris in Bohemiam iter flecebant, ac primo Budewifium oppidum ad fines Bohemiæ situm astu intercipientes, præter opimam prædam, triginta belli tormentis, & magna pulveris pyrii parte potiti sunt. Die decima tertia Februarii Beraunio, quod unacum Crumlavia paulo ante occupaverant, Pragam versus contenderunt, ad quos tamen Leopoldus ipse fatim sese recepit, cum ipsis de solutione & discessu acturus: Advenerat tum quidem fecialis Cæsareus, mandatum

datum ab Imperatore deferens, ut hi Sæc. XVII.
milites Crumlaviam recederent, & A C. 1611.
quod restaret solutionis, ibi expectarent. Attamen, cum se duntaxat ad vindicandam Cæsareæ Majestatis auctoritatem adventasse caussarentur, die decima quinta Februarii summo mane irruptione non minus improvisa, quam truculenta *Minorem*, ut vocant *Pragam* occupant. Visa fuit ea res satis opportuna quibusdam civibus, novam sectam profitentibus, necnon Hussitis, qui sub specioso tumultus coercendi obtentu unacum militibus in aliquot Religiosorum monasteria involarunt, atque ex iis quosdam per fenestras, vel per valvas tectorum & turrium, quo confugerant, vel omni vestitu nudatos per declivia summorum culminum detru-
fos in capita crudeliter proturbarunt, alios denique pessime habuerunt, quorum tamen totum crimen erat Religio Catholica: Nec eos Templorum Sanctitas absterrebat, quominus perfractis foribus, fenestris, & statuis omnem Sacrum Ornatum diriperent, & per plateas publice spectandum proferrent. Die sequenti arcem occupant, necnon Bohemos Præliarios utpote viribus & numero inferiores, ut ad eorum signa transirent, compellunt.